

comiti; * futuro botanico Bras..... † et si diis placeat desieuaux. ‡

Quid novi in actis vestris? quo modo valet frater tuus ex Peruvia redux?

Salutem ipsi dicas et si quid placeat mecum communices. Heu quantum mihi rude oblectamentum.

Ter vale Botanicorum Coryphæe.

BOTANICO INCOMPARABILI
DD: BERNH: DE JUSSIEU,
PROFESSORI BOTANICO,
S. PL. D.
CAROLUS LINNÆUS.

PRETERITO autumnno ad te, Vir Celeberrime, litteras dedi per capitaneum quemdam navis nostræ Roanum qui petiit; responsorias nondum habui. Si ad me scribere placeat epistolam mittas Stockholmiam et me inveniet.

Si adhuc vigeat Dom: Profess: d'Isnard, ipsi significes me quosdam libros botanicos accepisse, quos nondum in suâ collectione obtinuit; ad te eosdem mittam; si ipsos nolis habere ipse, habebit Dominus d'Isnard.

Quæso mihi dicas utrum acceperis a D. Clifortio ejus hortum necne; si non, curabo tum ut habeas.

Dedi in actis literariis et scientiarum quæ Upsaliæ prodeunt, catalogum animalium Sueciæ, ubi quadrupedia, aves, amphibia, pisces, insecta, vermes Sueciæ enumeravi, scilicet species sub suis generibus cum synonymis specierum; quem tractatum mittam una cum horto Agerumensi et actis academiæ scientiarum Sueciæ & oratione meâ de curiositatibus in insectis. § Quamprimum societas liter: et scienti: crisis subiit, quod proxime fiet, te Membrum vocabit.

dissertationibus Bernardi de Jussieu insertæ. Octogenaria anno 1780 obiit, ita ut fere quadragenariam Luttetiæ noverit Linnæus.

* LASERRE in domo Jussæorum, ut videtur, familiaris, ideoque a Linnæo tum sæpius *infra* in litteris, tum in ipso diario memoratus, cæterum vix notus.

† Verbum sub *cerâ* sigilli se subduxit; credo legendum *Brasiliano* cum in unâ litterarum sequentium de viatore Brasiliam mox adituro mentio fiat.

‡ Nomen ignotum, an e cacographiâ?

§ *Tal om Märkvärdigheter uti Insecterne.* — Orationem hanc de Memorabilibus in Insectis habitam a Linnæo coram Academiâ Scientiarum cum primum deponeret Academiæ præsidium d. 3 Oct. anni 1739, monente cl. Bernh. Jussieu ex Sueciâ in Latinam vertit linguam Parisiis 1743 Abrah. Bäck, M. D. (ut legere est in